



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. IV. Alia ratio D. Thomæ exponitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

aut commoditatem naturæ, tanquam propter finem: tum quia pars sensitiva & animalis, utpote inferior, debet semper subesse ac subordinari rationali superiori, & ab ipsa dirigi & regulari; tum etiam quia cum bonum delectabile sit in se, ut ait Philoſophus in libris Ethic. recta ratio dicitur hominem nunquam debere operari propter bonum delectabile tanquam propter finem, sed illud semper esse referendum ad bonum honestum. Unde SS. Patres, infra referendi, docent actum conjugalem, ob solam delectationem factum, esse malum, & peccatum, saltem veniale, & D. Thomas 2. 2. qu. 168. art. 2. ait quod malum est ponere finem in delectatione ludi. Et in corp. articuli constituit quandam virtutem, quæ dicitur *Eutrapelia*, seu jucunditas, cujus munus est ponere medium in ludis & jocis, seu in delectationibus ex ludis & jocis provenientibus; ut scilicet homo tantum, & non plus, vel minus de delectatione ex ipsis sumat, quantum sufficit & requiritur ad animi recreationem, quæ est finis honestus.

Ex his ergo patet vis & efficacia rationis D. Thomæ, quæ potest sic resumari. Quotiescunque homo operatur cum consilio & deliberatione rationis, intendit aliquem finem; cum finis sit objectum ad æquatum voluntatis, saltem motivum, ut tractatu præcedenti ostendimus; vel ergo talis finis est bonum honestum, aut delectabile, seu utile enim quæ tale, cum non sit appetibile propter se, sed solum propter aliud, ad quod delectatur ut medium, non potest habere rationem finis. Si sit bonum honestum, actus erit moraliter bonus, & rationi consonus; si verò sit pure delectabile, actus erit malus, & rationi dissonus; quia, ut ostendimus, est intrinsece malum & rationi dissonum, sicut in bono delectabili tanquam in fine; nam, ut ait D. Thomas supra qu. 4. art. 2. ad 2. *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationes*: Ergo nullas potest dari actus humanus & deliberatus in differens in individuo.

Dices: Homo non tenetur semper agere ex deliberatione rationis, alias indeliberate fricare barbam, aut movere pedem, esset peccatum, quod est absurdum: Ergo neque tenetur omnem actionem deliberatam in finem honestum ordinare.

Sed contra: Sicut licet artifex non teneatur facere statuam, si tamen eam facit, tenetur ipsam facere juxta regulas artis, & non ab illis deviare, peccat in genere artificiali: ita licet homo non teneatur semper agere cum consilio, & deliberatione rationis, quia non est in ejus potestate, cum ipsius operatio intellectualis dependeat ab extraneis & corporeis principiis, quæ illius non subduntur potestati, & habeat rationem sensibus alligatam; supposito tamen quod aliquid deliberatè & humano modo, subinde que ut agens morale faciat, tenetur illud facere conformiter ad regulas morum, quæ sunt recta ratio & prudentia, & si ab illis deviat, peccat in ordine morali: Sed recta ratio & prudentia dicunt omnem actionem nostram deliberatam esse virtualiter saltem in finem honestum, si dirigendam, ut patet ex supra dictis: Ergo licet homo non teneatur semper agere ex deliberatione rationis, tenetur tamen omnem actionem, quam cum consilio & deliberatione rationis elicit, in

A finem honestum, virtualiter saltem, ordinare. Dixi *virtualiter saltem*, quia ad honestatem & bonitatem moralem actus humani, non sufficit relatio habitualis in finem honestum, neque requiritur semper formalis, sed sufficit virtualis, quæ habetur ex vi præcedentis intentionis faciendi omnia virtuosè, & in ordine ad bonum honestum, aut propter Deum, quandiu manet in aliquo suo effectu. De quo in tractatu de merito. Ne hoc nimis durum, aut severius quam par est à Theologo dictum existimes, quandoquidem Poëta Ethnicus, multis Theologis æquior, id ipsum agnovit. & S. Thomæ accinit, damnatâ indifferentiâ actuum singularium, hoc aureo versu:

Ni ratio jubeat, digitum exere, peccat.

§. IV.

Alia ratio D. Thomæ exponitur.

SECUNDA ratio, quam habet Divus Thomas 2. 2. art. 9. in argum. *Sed contra*, magis confirmat præcedentem, potestque sic breviter proponi. Omnis actio otiosa est mala moraliter: Sed actio quæ ad finem honestum non ordinatur, est otiosa: Ergo est mala moraliter, & non indifferens ad bonitatem & malitiam moralem. Major probatur: Verbum otiosum est malum, & puniendum in die judicii, ut colligitur ex illis verbis Christi Matth. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Unde Tertullianus libro de patientia: *Traditum est in doctrina Christi, manere nos omnia vana, & supervacanei dicti reatum.* Et Divus Gregorius homil. 8. in Evang. *Mecum vos admonio, ut ab otioso sermone parcamus, inutiliter loqui declinemus, in ventum verba non defluant, cum judex dicat: Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* Ergo à fortiori opus otiosum est malum, & in die judicii puniendum. Consequentia patet: tum quia in opere otioso non minus vanè occupatur potentia, & consumitur tempus, quam in verbo otioso: tum etiam quia cum opus quid majus & pretiosius sit quam verbum, cæteris paribus, pejus est opus otiosum, quam verbum otiosum. Unde Hieronymus in Psal. 16. *Si de verbis otiosis reddatur ratio, quantum magis de operibus.*

Minor verò, quæ asserit, actionem quæ ad finem honestum non ordinatur, otiosam esse, facile suadetur. Actio non dicitur otiosa eo quod habeat malum finem, aut malam aliam circumstantiam: Ergo solum potest dici otiosa, quia caret sine debito & convenienti, vel ut ait D. Gregorius ubi supra: *quia caret aut utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis.*

Confirmatur ex significatione hujus nominis *otiosum*: significat enim id quod non deservit ad finem suum præcipuum; sic calamus qui non potest deservire ad scribendum, aut culter ad sciendum, dicitur otiosus & inutilis; sic etiam, si in ædificio sit aliqua pars, quæ ad inhabitationem aut ornatum non deserviat, otiosa censetur. Item Matthæi vigesimo operarii dicuntur otiosi, non quia nihil omnino agerent [forte enim confabulabantur, & deambulabant] sed quia finem suum non exercebant, nempe excolere vineam, & in ea laborare. Denique Sapientiæ quarto dicitur: *Impiorum multi-*

rudo non erit utilis: quia ut exponit Lyranus, inutile dicitur quod non valet ad finem intentam, sicut medicina dicitur inutilis, quia non inducit sanitatem: omnes autem homines, in quantum sunt ad imaginem Dei facti, sunt ad beatitudinem ordinati, propter quod impij ab ea deficientes, dicuntur inutiles. Ergo similiter actio illa in ordine morali censetur otiosa & inutilis, quæ non dirigitur in finem proprium hominis, ut agentis liberi & moralis, nempe in bonum honestum, & rationi consonum.

44 Hoc argumentum valde ac validè torquet Adversarios, & idèd variis solutionibus ejus vim declinare conantur. In primis autem negant Majorè, & dicunt neque verbum, neque opus otiosum esse malum morale & peccatum: nam licèt Matthæi duodecimo dicatur de omni verbo otioso reddendam esse rationem, hoc tamen non debet intelligi de judicio condemnationis, sed tantùm de discussione.

Sed hæc responsio non solum falsa, sed etiam temeraria est. Primò quia repugnat sanctis Patribus supra relatis, qui asserunt otiosum verbum esse peccatum, & condemnandum ac puniendum in die judicii; & patet ex intento Christi, ille enim verbis supra relatis intendebat ostendere argumento à minori ad majus, graviter puniendam esse blasphemiam in die judicii, quia in eo homines reddent rationem de verbo otioso: quod argumentum non haberet vim, si verbum otiosum non esset peccatum puniendum in die judicii. Unde Bernardus libro de triplici custodia manus, linguæ, & cordis: *Si de verbo otioso reddenda est ratio, quantum districtius de verbo mendaci, irrisorio, elato, lascivo, adulatorio, & detractorio?*

Secundò: Omne quod examinandum est in die judicii, vel examinatur ad præmium, vel ad supplicium: Sed verbum otiosum non est examinandum ad præmium, ut patet: Ergo ad supplicium, tanquam malum morale.

Tertiò: In vanum & absque ulla utilitate expendere pecunias, peccatum est prodigalitatibus. Ergo cum tempus sit aliquid pretiosius pecuniâ, inutiliter illud terere in verbis, aut operibus otiosis, peccatum erit otiositatis. De quo videri possunt Anselmus super illud Pauli Ephesios quinto, *Redimite tempus*. Et Bernardus libro citato de triplici custodia, ubi eleganter expendit quàm gravis, perniciofa, & culpabilis sit jactura temporis, quod in verbis otiosis impenditur. Nemo vestrum fratres (inquit) parvi aestimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis: si quidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremediabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat, donec pertranscat tempus. O donec hora prætereat, quam tibi ad agendam penitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio conditoris indulget. Donec pertranscat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.

Denique Fideles omnes timorata conscientia, tam docti, quàm idiotæ, existimant verba otiosa esse mala, & peccata venialia, & idèd ab illis abstinent, & in confessionibus de eis se aculant, nullo Concilio, Prælato, aut vito docto contradicente; Ergo sine ingenti temeritate

te negari non potest, verba otiosa esse mala, & condemnanda, ac punienda in die judicii. Unde

Respondent secundò alii, verba quidem otiosa esse prava, non tamen opera, & duplicem assignant rationem discriminis. Prima est, quia verbum ex se est instrumentum ad finem ordinatum, scilicet mentis manifestationem, & idèd hoc ipso quod caret fine, otiosum est & pravam; opus verò non est necessarium propter aliud, sed propter se. Secunda, quia locutio est actio magis rationalis, quàm aliæ actiones externæ; maxime enim propriè convenit homini, quatenus rationalis est, & idèd magis requirit bonem rationi consonantem, quàm aliæ actiones, quæ quodammodo animales dici possunt; ut ambulare, &c. Ita quidam antiqui, quos referunt sanctus Thomas in 2. dist. 40. questione 2. articulo 5. & Divus Bonaventura ibidem art. 1. qu. 5.

Sed hæc solutio confutata manet ex supra dictis: ostendimus enim quòd si verba otiosa sint mala, etiam opera otiosa prava erunt: tum quia si opus sit vanum & inutile, in illo vanè occupatur potentia, & consumitur tempus, sicut in verbo otioso: tum etiam, quia cum Deus non minorem expositat rectitudinem in factis, quàm in verbis, sicut in verbis requiritur debitus finis, ita in operibus. Unde ait Hieronymus supra relatus: *Si de verbis otiosis redditur ratio, quantum magis de operibus*. Rationes autem discriminis, ab illis Authoribus adductæ, frivole sunt. Nam prima est æquivocatio, quia verbum ordinatur ad aliud, ut signum ad signatum, quo uln non privatur, etiam si otiosum sit, nam etiam per illud explicat homo mentem suam, præsertim si in locutione sit veritas, ut supponimus; aliud verò est totam hanc locutionem & mentis expressionem ordinari ad bonum & honestum finem, qui non debetur locutioni ut locutio est, sed ut actio humana est. Secunda etiam non valet: quia cum quælibet actio, ut humana est, sit rationalis, non minùs requirit finem honestum, & rationi consonum, quàm locutio.

Tertiò alii respondent; concessa Majori, negando Minorem, nempe actionem, quæ ad finem honestum non ordinatur, esse otiosam: ut enim (inquiunt) aliqua actio otiosa non sit, sufficit quòd ad aliquam naturæ commoditatem ordinetur.

Sed contra: Vel per commoditatem naturæ intelligitur conservatio sanitatis, seu sustentatio, quies, ac res & consistentia corporis: vel delectatio aliqua corporea & sensibilis, ex operationibus, quibus species aut individuum conservatur, se quata? Primum dici non potest: quia cum conservatio sanitatis, & sustentatio ac quies corporis, sit bonum honestum, hoc ipsum quòd aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur, ut ait Divus Thomas articulo nono ad tertium. Unde actiones illæ quæ ad naturæ subsidium ordinantur, & quæ ad vitæ vel sanitatis conservationem necessariæ sunt, vel utiles, non sunt indifferentes, sed honestæ, & naturæ rationali conformes; nam homini, etiam ut rationis est particeps, convenit sensitivæ & vegetativæ parti consulere, & prudentia dictat his naturæ indigentis esse subveniendum, proceduntque illi actus à naturali in nos ipsos dilectione, quæ bonè

honestas est & bona moraliter. Secundum etiam affirmari nequit: tum quia, ut supra ostendimus, bonum delectabile nunquam debet esse finis naturæ rationalis: tum etiam, quia si ad colendam otiositatem ve. horum aut operum, sufficeret ea ad aliquam naturæ delectationem ordinari, vix ullum esset verbum aut opus otiosum; quia nullum ferè est quod non dicatur aut fiat propter aliquam naturæ delectationem, seu animi vel corporis oblectationem. Unde ut verba aut opera non sint otiosa, necessariò requiritur, ut ad proprium finem naturæ rationalis, id est ad aliquod bonum honestum & rationi consonum, virtualiter saltem referantur.

§. V.

Præcipue objectiones solvuntur.

OBJECTIONES primò: Homo non tenetur dirigere omnem actum suum in finem honestum: Ergo ruit primum ac præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia nullum est præceptum ad id obligans: nam vel esset positivum, vel naturale? Non primum, cum ex Scripturâ non constet: Sed neque secundum, quia ad nullam ex præceptis Decalogi, ubi naturalia continentur, spectat: Ergo &c.

Confirmatur: Præcepta omnia sunt de actibus virtutum: Sed referre omnia ad finem honestum, ad nullam virtutem pertinet: Ergo de hoc nullum extat præceptum.

Confirmatur amplius: Rigorosum nimis videtur, & ferè impossibile, obligare hominem ad hoc quod in omnibus suis actionibus, in his etiam quæ ad naturæ commoditatem & individui conservationem pertinent, ut spuere, purgare nares, fricare barbam, &c. semper rectum finem apponant: aliter continuo peccarent homines, saltem venialiter, cum continuo tales actiones occurrant, & homines non recorderentur eas referre in bonum finem.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens. Ad cuius probationem, nego etiam Antecedens: quia ut supra disp. 1. art. 2. explicando regulas moralitatis dicebamus, sicut agentia naturalia determinantur ab Authore naturæ ad proprios actus, naturali inclinatione, ita agens liberum determinatur per leges & præcepta: Videmus autem quod agentia naturalia recipiunt ab Authore naturæ inclinationem, ut per omnes suos actus tendant ad proprios fines consonos suis naturis: Ergo etiam agens rationale & liberum debuit habere præcepta & legem, ut omnibus suis actibus deliberatis tendat ad finem consonum naturæ rationali, qui est bonum honestum. Neque verò minus spectat ad naturæ Authorem, dare agentibus libetis pro omnibus suis actibus determinationem moralem, quæ est per præceptum, quàm agentibus naturalibus determinationem naturalem, quæ est per naturalem inclinationem. Ex quo patet, tale præceptum esse naturale. Ad quod autem ex decem contentis in Decalogo referatur, variè opinantur Authores. Quidam existimant illud esse reducendum ad præceptum dilectionis Dei, nam ratione hujus præcepti tenemur diligere Deum super omnia, & habere eum pro fine ultimo, & consequenter referre in ipsum omnes nostras actiones, saltem mediatè, quod fit ordinando ea,

ad aliquem finem honestum. Alii dicunt, quod sicut est præceptum naturale non prodigendi pecunias, ita & non terendi tempus inanisiter & potentias animæ vel corporis in operibus vanis & otiosis inutiliter non occupandi.

Veritas tamen & probabilius existimo, quod sicut dantur quædam veritates, quæ per se non pertinent ad objectum fidei, sed sunt veluti præambula ad illam, ut Deum existere, Deum esse unum, sicut docet D. Thomas 1. p. qu. 2. art. 2. ad 1. ita dantur quædam præcepta naturalia, quæ non continentur in præceptis Decalogi, sed sunt quasi præambula ad ipsa; sicut est præceptum diligendi seipsum, ad quod reducitur præceptum de non operando absque fine rationabili, in quantum homo, quia rationalis est, & vivit vita intellectuali, ac elevata supra vitam brutorum, debet diligere suam dignitatem, & operari ut homo, non verò assimilari jumentis insipientibus, ut in prima ratione fusè expendimus. Ex quo inferitur quod operari absque fine rationi consono, non opponitur alicui virtuti, sed naturali inclinationi hominis operandi ut rationalis est, quæ inclinatio nascitur ex amore naturali sui ipsius, qui non est virtus aliqua, sed aliquid majus virtute. Unde patet responsio ad primam confirmationem.

Ad secundam dicendum, præceptum illud non esse ita rigidum & difficile, sicut adversarii existimant; quia, ut supra annotavimus, non præcipitur ut actualiter omnes actus nostros referamus in bonum honestum, sed sufficit quod referamus virtualiter: idque impletur, quando proponit homo operari ex fine honesto actiones suas; hæc enim relatio manet, quam diu non retractatur. Nec peccatur continuo, ex hoc quod tale præceptum datur: Tum quia multæ actiones, quæ videntur indifferentes, revera tales non sunt, sed quod in recreationem honestam, aut commoditatem delectationem, vel naturæ solatium seu quietem referantur, aut virtualiter referantur: Tum etiam quia plures non sunt ex deliberatione, sed ex imaginatione, ut fricare barbam, movere pedem, levare festucam &c. præceptum autem referendi actus nostros in bonum honestum: non obligat, nisi quando operamur humano modo, & cum consilio ac deliberatione rationis.

Dices, Esto detur tale præceptum, possunt tamen aliqui ejus obligationem invincibiliter ignorare, subindeque ratione talis ignorantie ab ejus impletione excusari: Ergo saltem in illis poterunt dari actus humani indifferentes in individuo. Adde quod opinio opposita, quæ negat dari tale præceptum, non caret probabilitate: potest autem quis licitè & tutè conscientiam sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori: unde tunc, faciens actum indifferentem ex fine etiam indifferenti, non peccabit, quia utitur probabili opinione; neque faciet actum moraliter bonum, quia non intendit, ut supponimus, finem honestum, sed indifferentem: Ergo saltem in aliquo casu poterit dari actus indifferens in individuo.

Propter hoc argumentum aliqui dicunt, quod sicut inter duos Reges non potest dari bellum iustum ex utraque parte, per se loquendo, per accidens tamen id potest contingere, supposita ignorantia invincibili ex parte unius, v. g. si unus ex illis invincibiliter ignoret jus quod